

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Penes quemnam coniugum sit, ex diuina prouidentia, dominum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Hic stat amans, & amans; furvus, & altera scortum:  
Coniugium, his sponsis, dæmon felicitet, ortum.

## C A P V T. XXVII.

Cura Dei, in Matrimonij etiam conseruandis, divine  
scripture, exemplis patefit.

L.

 Voniam Non minor est virtus, quam querere, partatu-  
ri, & què Deus inuigilat, vt matrimonia consérueat,  
vt constituat. Quid prodest figulo, limum efformare  
in vrceum, & mox iterum frangere,? Cùm ergo constiterit, su-  
prenum Mundū Gubernatorem, non minùs attendere coniu-  
gijs conseruandis, quam inchoandis, nihil accusari poterit eis  
bonitas, si hominum vitio quedam matrimonia malè diffun-  
tur, aut ærumnis miserè corrumpuntur. Ad matrimonia igitur  
firmanda, non dominium modò rectè est ordinatum, sed mula  
etiam alia luculentè sunt facta. Eua, postquam & ipsa præ-  
dicata est, & maritum secum traxit in peccatum, non legitur  
quidem vñquam cum Adamo litigauisse, legitur tamen audi-  
uisse: Multiplicabo erumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore pa-  
ries filios, & sub viri potestate eris (quae est molestissima femine  
superbiæ poena). & ipse dominabitur tui, quia virum seduxisti;  
mala duætrix, ac proinde ducenda potius, quam ducitura. Hinc  
meritò vir vxorem, non vxor virum ducere dicitur. Nam hic  
vir accepit potestatem, vxorem coercendi & puniendi. Secun-  
dum Romanas etiam leges, licet gentiles, adeò vxor, sub viri  
potestate erat, vt non licuerit ei condere testamentum, sine viri  
auctoritate: & quia sub viri erat manu, capite diminuta dice-  
batur. Hæc ipsa subiectio vxoris, & dominatus viri sive insus,  
moderatus & ex lege, etiam naturæ ortus; sive imperiosus &  
tyrannicus, ac præter naturam, semper feminæ molestus &  
poena peccati est; ex eo tamen duplex utilitas nascitur. Nam  
sic vxor peccatum luit & commune illud, & priuatum ac per-  
sonale; ac insuper velut fræno quodam coercetur. Docte ille:  
Mulier nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dicere, nec iude-  
care: quanto magis non potest, aut non debet imperare? Ut ergo  
matte

Gen. 3.16.

matrimonij prospiceretur, imperium penes virum est; idque & naturae, & Dei institutione, & D. Pauli mandato. Quibus omnibus renunciant, qui non tantum claves, sed etiam clavum & sceptrum vxoribus relinquunt; longeque stultissime illi agunt Iudei, qui, ut ex oculato teste scio, Neostadij, in nuptiarum die, à certa meta sponsum & sponsam decurrere sinunt. Currunt quām contentissimē ambo, & qui eorum prior ad ostium domus perueniens ianuae marculum ansamue apprehendit, apprehendit & imperium, ac omni reliqua vita alteri dominatur. Tantum est præmiū celeritatis. Hic regni acquirendi modus nō tantum podagrīcī est iniquus, & ebrijs aduersus, sed etiam diuinæ prouidentiæ manum injicit, quæ vidit, quale futurū esset regimē, si feminæ in sole scere sinerentur. Hinc viro dominium dedit. Atque hæc cura Dei, in primo statim matrimonio, sese ostendit. Virum in caput constituit, ut fæminam puniret: fæminam subiectione puniuit, ut ne dissidia nascerentur, si duo, in yna domo, regnarent. Optimum regimen monarchia.

S. Augustini  
in qq.

Iratus Mundo Deus diluvium cogitabat nimbosissimē effundere. Itaque ad Noë dixit: *Vniuersa, quæ in terra sunt, consumentur. Ponamq; fedus meum tecum: & ingredieris arcam tñ, & filij tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum, tecum. Et ex cunctis animantibus vniuersæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum: masculini sexus & feminini, &c.* In ipsa ira misericordiae recordatus est; & ne genus humanum totum extingueretur, conseruator Vniuersi, coniugium conseruauit, atque vxorem, vñā ingredi cum coniuge iussit. Quid ni hoc hominibus faceret, qui & cunctas in arcam ingredi voluit binas animantes? easque non captas à Noë, sed sponte venientes; aut potius ab angelo cuiusque speciei custode actas? Idcirco enim ad Noë dicitur: *Intrabunt ad te. Quod si cura est Deo, de coniugio boum & mutorum animalium, quantò magis curabit, ut humana matrimonia sarta tecta conseruentur?* per quæ illi propagantur, ob quos, *ones & bones & pecora campi,* & totus denique visibilis iste Mundus est creatus? Sic Deus coniugium, non tantum in paradyso, sed etiam in diluvio fulciuit; illustri præ-

S. Augustini  
lib. 15. c. 17.

II.

Gen. 6. 17.

Vu 2 sagio,